REPETITIO APOLOGIAE M. FL. ILLYR. de LOGO & alijs quibusdam.

Ieremiæ 18.

Adeste cogitabimus contra eum cogitationes, quoniam non peribit Lex a Sacerdote, & consilium a Sapiente, & uerbum a Propheta: adeste, feriemus eum lingua, nec attendemus omnes sermones suos. Attende ad me Domine, & audi uocem aduersariorum meorum. Num redditur pro bono malum &c. Hæc extrema & plusquam cuculana ingratitudo semper est reprehensoribus errorum ab impio Mundo repensa. Deducant controuersias ad legitimam cognitionem.

Sed qui malum operatur
fugit lucem Ioa 3.

IENAE.
Anno M. D. LXI.

QVIS CREDERE POSSET, fidos Christi ministros, homines non tantum innocentes, sed & optime de toto humano genere merentes, in summum odium & infamiam totius Mundi incidere posse, nisi & ipsa ueritas Filius Dei id iam olim diserte prædixisset, & experientia omnium seculorum idipsum liquido testaretur?

Sit nobis satis pro argumento experientiæ uel solus Athanasius, vir uitæ sanctissimæ et doctrinæ purissimæ, qui, licet eius causa contra Arium à Nycæna Synodo & Constantino uere omnibus virtutibus magno comprobata fuisset, & ipse innocentiam suam sæpius in Synodis liquido demonstrasset, tamen tandem ab eodem illo Cæsare, malenolorum calumnijs irritato & corrupto, multo uero magis postea ab eius filijs adeo crudeliter fuit proscriptus, ut nusquam ferme in toto orbe terrarum ei tutus locus supereſſet. Nam, inter alios Scriptores, Nicephorus & hæc lib. 8. Cap. 82. de eo scripsit.

Constantinus se nunq̃ mutaturum de Athanasio sententiam, neque eum reuocaturum esse asseruit: tanq̃ uirum SEDITIOSVM & MALORVM PATRATOREM, præsertim cum Ecclesiastico iudicio condemnatus esset. Clam quoque Antonio significauit, se Synodi decreta non facile irrita facere posse. Nam etiamsi pauci, inquit, fuerint, qui hostili animo sententia sua illum iugularint,

gularint, tamen reliquam conuentus eius multitudinem bonorum & probatorum virorum, non ita simpliciter & temere prorsus illorum calculos fuisse secuturam. Addidit insuper EFFRENI ESSE LINGVA ET CONTVMELIOSVM VIRVM Athanasium, atque ad SEDITIONES CONCITANDAS IDONEVM. Ita namque qui hostili in eum erant animo, apud Imperatorem de talibus criminibus cum detulerant, cum Imperatorem scirent uitia eiusmodi supra modum grauiter ferre.

Sic & hoc tempore non potest dici, quanto furore Satan ueritatis Confessores & errorum oppugnatores calumnijs ac horrendis mendacijs obruat, quantumuis tum summa beneficia, nempe Veritatis assertionem & errorum refutationem ingratissimo Mundo præstent, tum & ad Synodos, Disputationes, omnesque legitimas cognitiones, non tantum sese offerant, Sed etiam supplicitèr se audiri orent ac obsecrent.

Quod ille summus humani generis, Deique hostis non tantum ideo facit, quia pro innata malicia delectatur mendacio, cuius pater & autor est: Sed etiam, quia cum non omnes Doctores prorsus expugnare, & in suam sententiam traducere possit, ideo postquam alios quidem effecit Seductores, Alios uero canes mutos, Vltimos, qui adhuc eius erroribus resistunt, tanta mole mendaciorũ & infamationũ inuadit & deformat, ut quantumuis pene palpabiliter ex Verbo Dei suam doctrinam

demonstrent, & in recepta Luth: piæ m. doctrina consistant, nemo tamen eos audire, nemoque eis credere uelit, eoque pene frustra illi erroribus ipsius contradicant.

Quid uero optatius queat contingere omnino Satanæ, quam cùm id perfecit, ut etiam ij, qui antea fuerunt ueri ac sinceri Doctores, aut promoueant errores, aut sint canes muti, aut denique frustra regnum erroresque eius oppugnent, pleriſque aures suas, instar aspidum surdarum, ad eorum uocem obturantibus.

Sic idem artifex, cum per alios, tum & Stenckfeldianos & Papistas, me quoque inuasit, cum alia innumera de me confingendo, tum etiam quod negem Diuinitatem Filij Dei, ut eorum edita Scripta & præsertim aperta quædam & famosa charta ante annum impressa fingit.

Huic horrendo figmento, omnia quidem mea impressa Scripta contradicunt, Sed nunc tantum repetam ea, quæ Anno 1557. & 58. de hoc uanissimo commento edidi. Nam de eo nihil nunc libet dicere, quod quidam blaterant, me uelle in pectus Dei ascendere, & scrutari, quomodo inde generetur Filius Dei, cum ego prorsus contrarium publico scripto, collectisque patrum testimonijs suaserim, ne uidelcet diuinam Maiestatem in rebus non reuelatis scrutaremur.

EX-

EXCERPTVM CONFESsio: Illyr: de Deo Anno 1557. cum Confessione Albini editæ.

CONFITEOR ITEM ME CREDEre esse unum uerum, ac uiuentem Deum, & tres diuinitatis personas, patrem, qui ab æterno filium sibi coessentialem, æqualem, & omnipotentem genuit, filium ab æterno a patre genitum, splendorem, characterem & uiuam ac consubstantialem imaginem patris, & Spiritum sanctum a patre & filio æqualiter procedentem.

Omnes tres personas confiteor esse consubstantiales, coæternas & æqualis omnipotentiæ, Vnum unicum verum, viuentem ac omnipotentem Deum creatorem cœli & terræ, omniumque visibilium & inuisibilium creaturarum.

Et quia nunc periculum Ecclesiæ potissimum a Seruetianis est, qui hypostasin filij negant, confiteor filium Dei Ioannis primo capite ita describi, ut primum vocetur LOGOS, sermo aut verbum, ac simul diuina eius natura describatur, quod sit persona seu hypostasis diuinitatis a patre diuersa seu distincta.

Postea eius opus creationis, quod per ipsum omnia facta sunt, quæ sunt facta.

Tertio eius opus saluationis, quod in ipso erat lux ac vita hominum.

Quarto eiusdem incarnatio, cum LOGOS seu VERBVM caro factum, uerus homo simul ac uerus Deus in una persona & duabus naturis non commixtis, nec distractis, sed coniunctis existens, nostram redemptionem ac salutem per suam exinanitionem, obedientiam, passionem ac mortem peregit.

Hæc est uera ac salutaris Christi Ecclesiæ ac simul MEA de unitate diuinitatis, & personarum trinitate fides & sententia, quantumuis contra uarij hæretici, præsertim nunc Seruetiani, & non obscure Stenckfeldiani, alijque mendaces ac seductorij spiritus garriant, nugenturque. Quorum impuris mendacijs & corruptelis, si quis fidem adhibet, suamet sponte, suoque malo errat ac seducitur. Taceo mendaces Epistolas.

REFVTATIO ILLYR:

Anno 1558. ædita.

SPARSERVNT ADIAPHORISTAE quam latissime antea Scriptis, & nunc etiam impressis literis deterrimum de me rumorem, quod Christi Diuinitatem negem. Quod Commentum undenam & qua occasione illi extruxerint, ordine, breuiter, ac uere indicabo, ne quis suspicetur illud: Φήμη δὲ οὔτις πάμπαν ἀπόλλυται, ἥντινα πολλοὶ Λαοὶ Φημίζουσι. Nec enim sum ut isti Lucifugæ.

In graui ac Ecclesiæ Dei necessario certamine

contra

contra Schuenckfeldium ſolus plures iam annos laborans ac ſudans, obuia habui multa, eaque non leuia dubia, quæ cum uberiori explicatione indigerent, neceſſe habui plures doctos pioſque fratres conſulere.

Quoniam autem æſtate Anno 56. Philippus, præter alios, etiam duobus quibuſdam claris Doctorib. dixerat, ſe cupere mecũ de multis ac magnis rebus conferre, credens ego id ab eo uere, candideque dici, putaui me non perperam facturum, ſi & ipſi aliquas quæſtiones proponerem, quarum explicatio ad publicum bonum, contraque communem ueritatis hoſtem tenderet: ſperans inſuper, illud meum tam amicum conferendi ſtudium, animum eius ad imminentem tunc Saxonicam Pacificationem leniturum & præparaturum.

Quare egi cum Vuernero comitis Barbienſis Concionatore, qui Philippo ſemper intimo fuit (eũ ille ultro indicaret, ſe comitis ſui gratia breui Torgam uerſus eſſe profecturum, ac in eundo atque redeundo Philip. compellaturum) ut ille ei haſce tres quæſtiones, meo nomine, coram, priuatim, amanter, ac conferendi tantum gratia ſua uoce proponeret.

PRIMVM, Vbi in ſacris literis hæ duæ uoces, VERBVM DEI, Filium Dei, & ubi externam atque a Deo patefactam doctrinã ſignificarent. Schuenckfeldium enim ubique Filium, me contra in paucis locis Filium, in pleriſque doctrinam intelligere. Primi capitis Ioannis nulla penitus mentio facta

est. Quia ibi non sunt istæ duæ voces simul positæ, VERBVM DEI, sed tantũ vnica, VERBVM. Quod ad ueritatis in hac re inquisitionem diligenter obseruandum est. Nec mihi vllum vnquam dubium fuit, quin ibi secunda Diuinitatis persona proprie describeretur. Quod non tantum mea, sed & Schuenckfeldij Scripta de me sæpe testantur. Secunda quæstio fuit generatio filij per cogitationẽ.

Tertia, illa definitio Euangelij, quod sit prædicatio Pœnitentiæ, quam esse impropriam, ac de tota cœlesti doctrina intelligendã, ipsemet Anno 1548. publice, in Disputatione Isinderi, me contra opponente, confessus fuerat. Recepit Vuernerus se omnia bona fide curaturum.

Eas igitur ille quæstiones, paulo ante Natiuitatem Domini, Anno 1556. Philippo, non voce coram, vt conuenerat, sed per literas proposuit. Quibus acceptis, mox cœpit ille eas omnibus ostentare, & latissime rumorem spargere, me negare primum caput Ioannis: negare ibi λόγος, VERBVM, significare Filium Dei. Negare denique ipsam Christi Diuinitatem. Nec tamen Vuernero statim quicquam respondit. Delato subito per propriũ nuncium ad me tam tristi rumore, grauiter sum perculsus, non tantum ob meam ignominiam, sed etiam propter scandalum pusillorum Iesu Christi, nouique certaminis periculum. Et denique, quia liquido inde animaduerti, nullam plane illorum pœnitentiæ, abolitionis errorum, & piæ salutarisque pacis spem amplius superesse.

Quam-

Quamobrem protinus misso nuncio Vuitteber-
gam, curaui ibi publice duas Schedas, subscripto
meo nomine, affigi, quibus, nullo nominato aut læ-
so, grauissime protestatus sum, falsissima esse, quæ
de me illic a quibusdam de negata diuinitate Filij
spargi intelligerem. Alteram ex illis Phi. proprijs
manibus, in Collegio, inspectantibus multis refixit
& perlegit. Idem feci clarius literis ad quendam le-
ctorem scriptis ac sparsis.

Misi quoque statim alterũ tabell: ad Vernerũ,
serio cum eo expostulans, quod meam sententiam
forsitan non recte Ph. exposuisset, iussique, misso
celeriter meis sumptibus proprio tabellario, illi
rem clarius exponere monereque eum, ne ea mihi
tribueret, quæ nunquam ne in mentẽ quidem mihi
ueniissent. Respondit Vernerus, se non credere, quod
tam tetra de me a Philip. spargantur aut fingantur.
Verum se nihilominus scripturum, & serio eos mo-
niturum esse.

Excusauit me itaque diligenter Calend. Ianuarij
Anno 1557. ternis literis ad Phil. Eberum, & pæda-
gogum suorum dominorum (ut ille mihi coram
affirmauit) scriptis.

HISCE tot meis Protestationibus & Vuerneri
(quem solum tantæ criminationis testẽ allegauerat)
meæ innocentiæ assertionibus, non est permo-
tus Phil. nec à tam horribili scandaloque pusillo-
rum Iesu Christi plenissima Tragœdia destitit,
sed tunc primum scripsit Epistolam (quæ nunc

edita est)ueluti respondens Vernero, qua pathetica querulatur, ac tetris me criminibus, grauique inuidia onerat, tacens suos errores Maiorismum & Lipsicum INTERIM, & fingens me aliquando precationem tres personas inuocantem, reprehendisse: cum ego tantum illam adulatoriam precationculam reprehenderim, qua, tempore persecutionis, nominatim pro fœlici Persecutorum successu in templis orabant, ut eius a' me literæ testantur: eamque Epistolam mox opera Scholasticorum latissime per totam Germaniam euulgauit.

Quod uero post istas nostras protestationes & indicationes, eas literas Phil. scripserit atque euulgauerit apparet ex secunda, meque excusante Vuerneri ad eum Epistola, in qua responsum ad priorem petit, ut alia indicia taceam.

Nec uero illa tantum Epistola, post tot meas protestationes & Vuerneri testimonia me infamauit, sed etiam tum uoce, tum Scriptis, cum apud multos alios Principes quoque uiros, tum & apud Mediatores Saxonicos, nec non Mechelburgenses, etiam post editam meam Confessionem, frustra utrisque me excusantibus: imo & concionibus Adiaph. ad uulgus Vuittebergæ & alibi eadem sua mendacia efflarunt & inflarunt.

EXPOSVI uere totum ordinem, quomodo, quaque occasione hunc tam tetrum rumorem Adiaphoristæ de me sparserint, & quam tenaciter etiamnum suo illi figmento, contra conscientiam, toties

resta

recte edocti, adhæreant. Posim autem hanc totam narrationem partim Vuerneri literis, partim aliorum quoque fide digniſsimorum uirorum teſtimonijs euidenter probare. Ex Vuerneri literis quædam tantum nunc hic adijciam.

EX EPIST. VVER. AD PHIL: PRO excuſatione Illyr. 1. Ianua. 57.

Lætum & fauſtum huius anni curriculum Eccleſiæ Chriſti, & tibi ab Emanuele noſtro precor. Venerande & chariſsime Præceptor, Illyricus non ſine ſtomacho ad me ſcripſit, conquerens, ſe in Schola ueſtra ab aliquibus tanquam ſemiarrianum proſcindi & proclamari, idque mea culpa, quod non ſatis candide ipſius ſententiam tibi narrauerim, accidiſſe ſuſpicatur. Quid iſtic factum ſit ignoro &c. pergit excuſare Illyricum.

EPISTOLA VVER. AD SVPER. SAX. QVI fuerant Coſuuici Mediatores, qua aſſerit innocentiam Illyrici.

S.D. Clariſsimi & doctiſsimi uiri, cum toties a me, quid M. Matthias Flacius Illyricus mecum περὶ τοῦ λόγου ſit locutus, flagitetur, dico & dicã ingenue ſummã ꝓpoſitæ quæſtionis fuiſſe, ubi uox λόγος in ſacris literis Filium Dei, & ubi doctrinam cœleſtem ſignificet. Occaſionẽ eius Schuenckfeldij error, qui λογον ubique Filiũ interpretatur, præbuit. Altera quæſtio fuit, de æterna generatione Filij,

quæ fit per cogitationē patris intuentis seſe, & quid hinc ſequatur. Quod neget λόγον perſonam Filij in primo capite Io: ſignificare, non memini me ex ipſo audire. Hæc uera eſſe quæ dixi, charta, quam penes ſe habet, confirmabit. Dominus noſter IESVS Chriſtus det requiem Eccleſiæ ſuæ & tollat ſcandala, quæ ſubinde Diabolus miris artibus ad deformandum miniſterium Euangelij excitat. Bene & fœliciter ualete. Datæ Barbi vltimo Ianua. 1557.

HAC TAM multiplici iniuſticia & mendacijs Adiaphoriſtæ non contenti, nunc inſuper ediderunt Vuittebergæ eaſdem illas duas Epiſtolas, cum atrociſsima Lucifugæ alicuius præfatione, ut ſcilicet hoc modo me, totamque Corruptelarum ſuarum oppugnationem tetris mendacijs obruant & opprimant. Sic enim ſcilicet Religio pura retinebitur, & Eccleſia Dei ædificabitur, ubi Refutatores errorum mendacijs euerſi fuerint.

Scriptum eſt, ex ore tuo iuſtificaberis, & ex ore tuo damnaberis. Quod ſi id ulla in re aut cauſa fieri oporteat, tum vero inprimis in cauſis Fidei. Corde enim creditur, Ore autem fit confeſsio. Quæ igitur tandem non tam cæca temeritas, quam extrema impudentia eſt, eos mihi errores tribuere, quos ſemper expreſſe damnaui, quorumque contrarium in omnibus meis editis Scriptis ſæpiſsime docui & doceo? Nam in omnibus ferme meis Scriptis Filij Dei Diuinitatem ſum teſtatus. Si me Adiaphoriſtæ

hoc

hoc nomine damnare uolunt, cur nõ saltem ea mea Scripta inspiciunt, quæ Vuittebergæ edita sunt, ut est Libellus de uoce & re Fidei, Item super tertium caput ad Rom. Item de nomine Iehoua & IESV: in quibus Diuinitatem Christi sæpe confiteor? Nam Samosatenianos & Seruetianos, quos mihi perpetuo obijciunt, ego eo ipso Anno 1556. ante hoc Mendacium, in præfatione Sulpitij Seueri, & Refutatione Missæ Fabri diserte damnaui.

Est vero obseruandum, quod ea ipsa Vuerneri edita Epistola, quam meam esse isti fingunt, & qua istud Commentum vanissimum probare conantur, eos clare refutet. Primum enim nihil in ea expresse contra Diuinitatem Filij asseritur. Deinde est unici hominis testimonium, cum in ore duorum aut trium &c. Tertio est dubium testimonium. Inquit enim: Si tamen recte intellexi Illyricum. Quanta ergo impudentia & crudelitas est, ex incerto testimonio certam damnationem præsertim in religione, extruere uelle? Quarto priuatim & amice, non publice ac hostiliter proponit. Quinto proponit conferendi & explicandi, non asserendi gratia. Sexto diserte tres diuinitatis personas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum inter se æquales confitetur. Vltimo expresse in illa Epistola, Dominus noster IESVS CHRISTVS, tanquam uerus & uiuus Deus Ecclesiæque suæ perpetuus Rector atque defensor inuocatur.

Imo

Imo ex ista ipsa Epist: ac amice de rebus dubijs conferendi studio, tum meum perpetuum piæ pacis studium, tum istorum superba impœnitentia clarissime elucescit. Inquit enim: Video posse fieri coniunctionem animorum &c. Quid ergo cum istis hominibus pie simul & amanter agi potest?

Vlulat iste Lucifuga aut noctua in titulo & præfatione, Epistolam Vuerneri a me scriptam esse. Contrarium uero testantur testimonia Vuerneri. Ego non scribere, sed coram uoce eum agere iussi. Me arrodere doctrinam uerarum Ecclesiarum. Hoc Adiaphoristæ suis corruptelis faciunt. Abolere cupere pia Scripta. Vide somnium Corydonis de libris Philonici Lutheri. Vuernerum esse meum manipularem. Magnam ei iniuriam facit. Exploraſſe se ait meos mores ex meis intimis. Explorēt. Ego nemini exploratores suborno. Iurasse nescio quid Vuernerum. Ego eius scriptis testimonijs sum contentus; iuret ille quicquid uult. Narrationes nescio quas Lucifuga fingit de bonis magnis & claris uiris, quos, ne redargui possit, tacet.

Clamat me deijcere Filium Dei de cœlo. Absit. Illi eū deijciūt de cœlo, qui summum, agnitumque eius hostē Antichristum, Ecclesiæ ipsius, pro summo gubernatore obtrudere satagunt, quique eius Religionem inficiunt.

Me euomere blasphemias in Ecclesiam. Veras sententias uni tantum intelligenti proponi iussi. Adiaphoristæ uero comminiscuntur tetra figmenta

ac

ac corruptelas, & in Ecclesiam effundunt. Quod sæpius euidenter demonstratum est.

Multi Sapientes, potentes, præstantes &c. dicunt: Causa quidem bona & pia est, sed tu eam male agendo reddis non bonam. Agant isti sapientes Critici eam melius pro suis donis, libens illis hac arena cesserο.

Epicurei & Prosopoliptæ dicunt, nostra scripta esse calumnias & mendacia. Quorum tamen plerique se nihil in eis legisse fatentur. Respondeo. Quid aliud est totus Adiaphorismus, quam purum mendacium contra ueritatem cœlestem? Istud ipsum est summum mendacium & calumnia, uocare ea calumnias et mendacia, quæ uel non legeris, uel mendacij ac calumniarum redarguere non possis. Proferant ergo aliquot crassa mendacia ac calumnias ex nostris Scriptis, & sic nos arguant. Quod si unum in meis Scriptis monstrauerint, ego contra in Adia: scriptis decem monstrabo. Si illi in meis decem, ego in illorum centum ostendam: Veniant modo ad cognitionem ac lucem.

Ausi sunt uanissimi homines etiam D. Do. Ioa: Morlini testimonium citare, ad confirmandum hoc suum mendacium, qui eos hac sua Epistola refutauit, quam & antea Anno 58. ædideram.

Quod uero attinet ad uirulentissimum scriptum NEBVLONVM & Calumniatorum illorum, qui sub titulo, et Sacratissimo nomine Scholasticorum Vuitebergensium, ac miseræ innocentissimæ-

que

que iuuentutis, petulanti ac mendaci lingua RABIOSAM mentem effundunt: Quem alioqui non ausint sine huiusmodi operculo APERTO Marte congredi, & uenire in publicum.

Ad hoc breuiter respondeo, quod facile & æquo animo fero mi D. Mathia, ut meo testimonio ita te munias, quemadmodum nosti me superiori anno ad te scripsisse: Imo, quemadmodum etiam te, assidentibus harum honestissimarum urbium Legatis, Viris grauissimis ac doctissimis, coram Reuerendo ac clarissimo Viro D. Docto: Pomerano piæ memoriæ, excusaui Vuitebergæ, cum Venerãdus ille senex ab amiculis scilicet tuis, totus esset persuasus, te omnibus Arianis peiorem esse. Cuius rei sicut & totius Cosuicensis actionis, quam Calumniatores & Nebulones illi nunc EXQVISITIS mendacijs impudenter DEFORMARE conantur, non uerebor etiam coram toto Mundo perhibere testimonium, si omnino furiosi illi homines etiam quietos quiescere non patientur, nec ullam ullis Ecclesijs permittere pacem. Ego hactenus DEI beneficio, non sum ueritus, nec in posterum uerebor, Veritati testimonium dare, etiamsi mihi non tales tantum conuiciatores, uerum etiam totus Mundus sit offendendus: Prouoco neminem, sed nolo prouocari ab alijs. Sed sine illos agere, quod agunt, noli tu frangi ipsorum calumnijs &c.

FINIS.

CONFESSIO

ET SENTENTIA VVITEBERgensium de Libero arbitrio, cuidam Electori, anno M.D.LXI. exhibita.

Vna cum utilibus Scholijs M. Fl. Illyrici.

Doctiss: viro d. m. Nicolao Rosio, suo. dno & amico M. S.

NOn meminimus an à quoquã in nostris ecclesiis hac de re quicquam disputarũ sit[1]. Flacius & sui manipulares, postquã mordere doctrinam nostrarũ ecclesiarũ cœperũt, capta occasione à disputatione quadam Lypsiæ habita, Locos cõmunes Philippi accusarunt, quod in his doceretur, Homi nem ui liberi arbitrij applicare se ad gratiam.

a *Falsissimum est. An non meminissent, quòd Maior in fine tertiæ partis Postillæ disserxit de Libe. Arbit. Eberus in sua disputatione, & Philip. in disputatione Voit. & Bauaricis articulis: Alesius in sua disputatione: Pfeffingerus in plurimis scriptis?*

Id cũ impudẽs [b]mendaciũ sit (nam locus hactenus non mõstratus est) nemo tamẽ in ecclesia nostra cum homine uanissimo magnopere [c]pugnauit, nisi quòd ipse mota semel doctrina conquiescere nunquam potuit. Putamus igitur, ne nũc quidem nobis cum eo de hac re rixandũ esse. Sed, ut nosipsos erudiamus, & cõfirmemur mutuo, nõ grauabimur exponere quid de tota controuersia huius articuli existimemus.

b *Est sanè hoc uestrum impudens mendacium, cum toties scripserim, eum errorem contineri in definitione & loco Liberi Arbitrij.*

c *Mendacium est. Videantur scripta Pfeffingeri, & tertia pars Postillæ Maioris.*

Principalis [d]ac præcipua quæstio est: qualis sit, & quomodo fiat miseri peccatoris cõuersio, qui ea ætate est, ut doceri possit.

d *Principalis quæstio est, quid hominis naturale aut animale Lib. Arb. boni aut mali operari aut cooperari possit.*

Nolite ſophiſticè inuertere ſtatum cauſæ.

De hac reſpondet Flacius: Conuerti (ut ineptè loquitur) purè [e] paſſiuè, ideſt ut truncum, & nihil [f] agentem. & addit terriora alia: Conuerti repugnantem, & hoſtiliter [g] Deo conuertenti aduerſantem.

e *Lutheri phraſin retinui. Non ſum reformator Lutheri, ut Adiaphoriſtæ, ſicut mox dicetur.*

f *Figmentum eſt. Nunquam dixi, nihil agentem: ſed audientem, attendentem, cogitantem: Verùm non uero ac ſpirituali cordis motu ex eius carnalibus uiribus profecto cooperantem.*

g *Mendacium eſt. non ſimpliciter dixi, hoſtiliter: Sed, ſi ipſius proprias & animales uires, ſeu carnis ſenſum expendas.*

Et ſunt huius aſſeuerationis rationes præcipuæ, cõprehẽſæ hoc ſyllogiſmo: [h] Natura eſt auerſa à deo: Sẽſus carnis eſt inimicitia aduerſus deum. & quæ alia dicta de deprauatione naturæ humanæ loquũtur. Et reliqua illa: Conuerti hominem [i] Solius DEI miſericordia & effectione, iuxta dicta: Dabo uobis cor nouum, & auferam cor ueſtrũ lapideum: Item, Deus eſt qui efficit ut & uelitis & perficiatis.

h *Peßima cauſa aut arbor neceſſariò peßimos fructus fert: Naturale aut animale Lib. arb. eſt peßima cauſa: Igitur, &c.*

i *Si ſolus Dei opus eſt: Ergo fit citra omnem Synergiam Liberi arbitrij.*

Ex his opinantur, [k] ſequi ſine contradictione, quæ aſſeuerare eos diximus. Et tragicè amplificant, ſi contrarium affirmatur, Confirmari hominum merita, ſuperbiam, præſumptionem, ſecuritatem, & neſcio quæ

alia

alia, ut scripta eorum docent. Hæc summa certaminis est, de quo nihil dissimulabimus.

k *Cur uos non soluitis hosce syllogismos?*

Toto pectore abhorremus ab oratione illa contumelios a in Deum, & plena blasphemiis aduersus filiũ Dei: Homo non solum ut truncus, sed repugnãs conuertitur: & affirmamus, stabiliri tali oratione non solum securitatem ac prophanationem contemnentem Deum, sed horribilia hominum scelera, & arcana [m]dubitationis & diffidentiæ, desperationis etiam peccata. Nam qui tali [n]orationis forma perturbati persuaserunt sibi, non posse eos credere, nisi cogantur repugnantes, & scelera cumulant, & tandem oppressi, dubitatione & desperatione ruere coguntur in æterna exitia.

l *Non est blasphemia, dicere,* Hominem *naturalem & carnalem perpetuò esse hostem* Dei, *& repugnare ei: quod ad internos motus attinet, Ante conuersionem, In & Post.* Rom. 7. 8. Gal. 5. & 1 Cor. 2.

m *Commentitium est. Nam monitus de suæ naturæ malicia, tanto magis ei scintilla fidei & primitijs spiritus repugnare conatur.*

n *Tali forma orationis ego non utor, ut simpliciter dicam,* Hominem repugnantem cõuerti. *Sed dico, eum ratione sui animalis aut carnalis Lib. arb. repugnare,* Ratione autẽ donati boni uelle aut scintillæ fidei assentiri. *Remouete ergo uestras sycophantias, nec eis controuersiam obscurate, & ueritatem præ grauate.*

Opponimus autem Flacianæ blasphemiæ, non Li-

beri arb. [o] uires aut dignitatem aut merita, ſicut falſo nos & eccleſias noſtras criminatur: ſed hæc opponimus fundamenta [p] immota & indubitata.

o *Certè de uiribus Lib. arb. lis omnis eſt. Vos eas aſſeritis: ego nego, & confuto. Nolite inuertere ſcopum controuerſiæ.*

p *Hoc ipſorum putre fundamentum, mox ipſimet fabri manifeſtè ſubruent.*

Promiſſio gratiæ & remiſſionis peccatorum uniuerſalis eſt, pertinens ad omnes. [q] Eſt & mandatum uniuerſale & ſummũ omnium, ut omnes promiſſioni credant. Deniq; ordo eſt immotus, nec fingendum, aliter eſſe Deũ efficacem, quàm uocc euangelii lecta, audita, cogitata, & aceepta fide.

q *Sophiſma eſt, A mandato ad poſſe optimißimè ſequitur ſcilicet.*

Huic promiſſioni, mandato, ordini diuino affirmamus debere & [r] Poſſe hominẽ obedire, & obedire uolentem, & ſine coactione: ut cum repugnat uerbo, dubitando, aut diffidẽdo: aut prorſus abiicit, facit id uolens, non coactus. Et cum aſſentitur, non facit hoc ui aut dignitate Lib. arbitrii, ſed [s] DEI Efficacia, qui hoc modo per uerbum & uocem Euangelii, & non aliter eſt efficax. Nec ſequitur ulla ueriſimili aut rationali cõſequẽtia: Fides eſt donũ dei, Ergo datur & donatur nolenti, coacto aut repugnãti. multominus ſequitur Donatio eſt, Ergo [u] coactio & uiolenta impreſſio eſt.

r *Vanum eſt, & contradictio manifeſta. Primum dicunt, ipſum hominem id poſſe. Mox uerò dicunt, non hominem, ſed Deum efficere. Sic modò aiunt, modò negant. Quid hac*

uanitate

uanitate uanius? & tamen audent me uaniſsimum hominem proclamare. Non pudet in tã paucis uerbis cõtraria dicere?

s Hæc eſt mea ſententia, qua ſuam aſſertionem & immotum (uti loquuntur) fundamentum euertunt. Suprà enim aſſenſum & Poſſe attribuerunt homini: hic contrà ei adimũt, & ſoli diuinæ efficaciæ adſcribunt.

t Argumentatio noſtra hæc eſt: Tota fides eſt purum donum Dei: Fides eſt intelligere uerbum, & aſſentiri ei: Ergo perceptio, cogitatio & aſſenſus, uelle & poſſe, eſt purum & merum ſolius Dei donum, non noſtræ ſynergiæ, aut lib. arb. Solue ſynergiſta.

u Mendaciũ eſt. Non dicimus coactio, uiolenta impreſsio.

Minimè uerò ſequitur terrum illud ἀναπόλογον: [x] Caro auerſa eſt à deo, & inimica deo: Ergo auerſa & repugnans cõuertitur. Eſtq; confuſio [y] accidentium talis, quæ in ſcholis flagris digna iudicaretur.

x Caro, ſeu ſenſus animalis, de quo propriè in lib. arb. diſputatur, eſt perpetuò auerſus à Deo. Ergo & tunc, cum conuertitur.

y Cum diſputatur de ui lib. arb. quæritur de toto naturali aut animali homine, quid ille cũ omnibus ſuis uiribus poſſit, aut non poſsit: non de ſolis eius accidentibus. Talis homo totus dicitur corruptus: non ſola eius accidentia. Bella conſequentia, de tribulis ficus, & de ſpinis uuas colligit.

Imò contrarium optima conſequentia ſequitur: Cum caro ſit auerſa, inimica, & quæ alia accumulant eius epitheta. Cumq; contra præſtò ſit Medicus [z] benigniſſimus, non repugnat, non auerſatur aut repudiat Medicum. Hæc cum fiunt, non fiunt per coactio-

nem, nec fiunt [z] nolente aut nesciente homine.

z *Sequitur sanè, si loquaris de iure, non de facto: de debere, non de posse. Deberet quidem ægrotus non repugnare Medico, sed phreneticus est.*

a *Fiunt quidem sciente & uolente homine, sed per tractionem Patris, seu donationem perceptionis & boni uelle pro malo.*

Denique [b] infinitum discrimen est inter agens rationale & uoluntarium, & rem brutam aut inanimatã. Hæc qui confundunt, naturæ, Deo, & uerbo eius bellum inferunt.

b *Verum est: Maximum discrimen est etiam inter ouem & capram: sed quid inde?*

Nec uerò his ut potissimis tãtum nitimur: [c] Certissimus & ueracissimus nobis [d] neruus est defensionis, oportere esse certitudinem in conuersis. Hæc tota euertitur, & præstigiis inexplicabilibus inuoluitur commento illo uniuerso de repugnantia. Paulus inquit: Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio. id est, Spiritum promissum fide accipimus.

c *Agnoscitis esse imbecilla sophismata.*

d *Non est neruus, sed funiculus arenaceus. Nego igitur eius cohærentiam. Num, quia Paulus sentit in se animale liberũ arb. repugnare legi ac uerbo Dei, ac concupiscere aduersus spiritum: ideo non assentitur promißionibus Dei, sed dubitat aut indulget dubitationibus aut sceleribus?*

Vt igitur fanaticum commentum monachorum de dubitatione detestamur: ita & hanc Flacii nouam & præstigiatricem repugnantiam in Ecclesias nostras non [e] recipimus.

Ergo

e *Ergo exploditis doctrinam Pauli & Lutheri, de anima li homine, perpetuo cum nouo & Deo pugnante.* Rom. 7.

Reliquam totam differẽtiam de uiribus humanis, de peccato originali, & gratuita donatione remissionis peccatorum, retinemus & explicamus eum in modum, quo traditus est & explicatus in libro Ecclesiarum nostrarum proprio, cui titulus est [f] CORPVS Doctrinæ. Ideoq; hoc loco de his uniuersis nihil repetimus.

f *Continet uestrum Corpus, non paucos & crassos errores.*

EX EPISTOLA CVIVSDAM PII Viri de *disputatione Alesii.*

MIROR neminem contradixisse disputationi Alesii. Sed Studiosi & Magistri non sunt admissi. Et [g] prorupit in hæc uerba Alesius publicè, Lutherum multis usum hyperbolis, quæ, nisi explicentur, tolerari non posse. Ex illis natos & exortos esse Antinomos, Anabaptistas: Ita etiam in hoc articulo, Et se breui alia daturum.

g *Hæc ipsa est mens Adiaphoristarum, quod uolunt doctrinam Lutheri corrigere. Nimium enim Stoica & horrida eis uidetur. Sed hactenus id semper occultarunt, & dissimularunt. Caue tibi sponsa Christi ab istis adulteratoribus.*

CORRVPTELAE PRAECIPVI CAPITIS doctrinæ Pauli de iustificatione.

3

Ex ~~quinto~~ capite Epistolæ ad Romanos.

CONcludimus, Hominem sine fide iustificari fide, sine operibus, id est

I

Sine cęremonialibus & iudicialibus operibus, Origenes, & alij non pauci ex ueteribus, & recẽtioribus quoq; Scholasticis.

Contra pugnat Paulus Rom. 4. 7. & Augustinus paßim alijq; saniores Theologi, id dictum esse intelligendum de Moralibus.

II

Sine operibus, quæ lex in homine efficit absq; gratia, seu homo carnalibus uiribus sine Spiritu S. Sophistę.

Item definitiones Phil. quid sint opera Legis.

Contra Paulus damnat, ut stercora, sua opera, etiam post renascentiam (si iudicio diuino opponatur) ut tantummodo in Domino hæreat spes & fiducia sua. Philip. 3.

III

Non solis operibus sine fide, sed fide simul & charitate Hieronymus. Aut Fide operibus formata, Sophistæ.

Paulus simpliciter negat hanc commixtionem, ex contrarijs sese inuicem tollentibus. Si enim ex operibus est Salus, non potest esse ex gratia, & econtra. Rom. 4, 11.

IIII

Sine operibus plenè Legi satisfacientibus: aut sine impletione Legis. Alesius in recens edito libello, publicaq; disputatione.

Sic fœdè nemo insanit, uel craßißimus Papista, ut putet, hominem debere aut posse prorsus implere legem ante

iustificat.

Iuſtificationem. Quare ſecundum hanc interpretationem facilimè inibitur pax cum Papiſtis.

V

Non tamen ſine bonis qualitatibus ac operibus præparantibus ad recipiendam Gratiam & iuſticiam, Louanienſes, & Synergiſtæ.

Paulus cõtradicit: Non quod ex nobis idonei ſimus percipere, cogitare, credere, uelle aut poſſe: ſed omnia hæc & alia bona ex ſolo Deo eſſe.

VI

Sine abſoluto merito operum, ſed non ſine merito congrui uel condigni. Sophiſtæ. Seu, ſine merito operum: ſed non, ne ſint cauſa retentiua & conſeruatiua ſalutis. Maior, & ſimiles.

Contrà Paulus Rom. 4. ſimpliciter uult iuſticiam ac ſalutem noſtram liberam eſſe ab omni Legis aut operum neceſſitate (quod ad ſalutem) ne fiat ſimul fides & promiſsio incerta. Cuſtodimur alioqui potenti manu Dei, ex qua nemo nos rapiet.

VII

Sine operibus in cauſa efficiente, ſed non in cauſa formali: Synodus Tridentina: Interim: Maior ſuper Rom. 10 & in libro de Conuerſione Pauli. Non ſine noſtra nouitate: Oſiãder, Schuuẽkfeldius, Staphylus.

Contrà Paulus Rom. 3 & 4. & Pſal. 32. definit iuſticiam fidei eſſe potentiam obedientiæ Chriſti, ſeu remiſsionis peccatorum, ſine operibus, ut prorſus omnia opera & qualitates noſtras inde excludat.

VIII

Sine externis bonis operibus, ſed nõ ſine internis bonis

bonis qualitatibus aut operibus. Quia contritio, fides bonum propositum, infusæ qualitates, sint etiam bona opera. Alesius, Maior & alij.

Cùm primum illa bona opera in nobis excitantur, sunt pura Dei dona, & Christi beneficia erga nos, quibus nos tunc primùm cõdimur ad bona opera, & fimus ex oleastro bonæ arbores, ad ferendos bonos fructus, non contra nostra obedientia aut bonis operibus erga Deum.

IX

Sine operibus præcedentibus iusticiam, sed non sine sequentibus, Thomas, & multi Maioristæ.

Verum est, boni fructus debent sequi bonam arborem: Sed tamen bonitas arboris nulla ratione inde dependet. Verum initio, in medio & fine, ex solo Saluatore & regeneratore.

X

Sine operibus inchoatiuè, sed non sine operibus consumatiuè aut absolutè. Maluenda.

Contra hæc præcedens responsio sufficit.

XI

Sine omni operum auxilio aut ope, excepta necessitate præsentiæ, aut causa, sine qua non salutis. Ph.

Contra Paulus simpliciter dicit, sine operibus. Item: iustificat impium, & non operantem. Et: Venit ut peccatores, id est prorsus peccatis obrutos, saluos faciat.

Vera ſententia.

SINE omni merito, conditione aut neceſsitate nostrorum operum, Sola Fide in Chriſtum, coram Deo iuſtificamur & ſaluamur. Ne ullo modo ſalus noſtra ex bonis operibus dependeat, ea ue ulla ratione ſint ad ſalutem neceſſaria Sed Salus æterna contingere poſsit etiam ijs, qui nunquam quicquam boni fecerunt, & iamiam ex hac uita migrare debent. Nam præpoſitio Sine, ſimpliciter iuſticiam ac ſalutem à noſtris operibus ſeparat. Scriptura, Lutherus & omnes ſanæ ſententiæ doctores.

Operæprecium autem eſt, hic uidere ac conſiderare, quàm nequeat Satan & ſeductores uerum, ſyncerum ac genuinum ſenſum uerbi Dei ferre, ſed uarijs interpretiunculis id in prauum ac impium ſenſum detorqueat, & ueluti modico fermento iniecto ſinceram maſſam fermentet. Nos ſimplicitatem oraculorum Dei in timore & tremore ſequamur.

FINIS.